

Sanctitas uel sanctus k
cum fonte primo

Tria sunt que in festiuitatibus sanctorum uigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius quia qui potens in terra, potentior est in celis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic adhuc uiueret, misertus est peccatoribus et orauit pro eis, nunc tanto amplius, quanto uerius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis patrem quia beata illa patria caritatem eius non mutauit sed augmentauit.

Sed nunc potius mouit sibi uiscera misericordie cum ante fontem misericordie assistit.

Debemus etiam attendere uitam eius quia quamdiu in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est, non declinauit neque ad dexteram neque ad sinistram, sed uiam regiam tenuit donec ueniret ad illum qui dicit: Ego sum uia, ueritas et uita.

Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus quia homo ille similis nobis fuit passibilis ex eodem luto formatus ex quo et nos. Quid ergo est quod non solum difficile sed impossibile credimus ut faciamus opera que fecit ut sequamur uestigia eius?

Bernardus sermone quodam.

Tria sunt igitur quae in festiuitatibus Sanctorum uigilanter considerare debemus: auxilium Sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in caelis ante faciem Domini Dei sui. Si enim, dum hic adviveret, misertus est peccatoribus et orauit pro eis, nunc tanto amplius quanto uerius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria caritatem eius non immutavit, sed augmentauit.

Neque enim quia impassibilis omnino, incompassibilis factus est; sed nunc potius induit sibi viscera misericordiae, cum ante misericordiae fontem assistit. Est et alia causa, quae magis urget Sanctos ut solliciti sint de nobis, quia, iuxta uocem Apostoli, Deus providet pro nobis, ne sine nobis consummentur, sicut ait Sanctus: ME EXSPECTANT IUSTI, DONEC RETRIBUAS MIHI.

Debemus etiam attendere exemplum eius, quia quamdiu IN TERRIS VISUS EST ET CUM HOMINIBUS CONVERSATUS EST (Bar. 3:38), non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed uiam regiam tenuit, donec ueniret ad illum qui dicit: EGO SUM VIA, VERITAS ET VITA (Ioh. 14:6).

Intuemini humilitatem operum eius, auctoritatem uerborum eius, et tunc uidebitis, quomodo tam uerbo quam exemplo luxerit inter homines, qualia nobis uestigia dereliquerit, ut ambulemus per ea in eis. Vere, iuxta Prophetam, SEMITA IUSTITIAE RECTA EST, RECTUS CALLIS IUSTI AD AMBULANDUM. Sed et diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus, quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus ex quo et nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed impossibile credimus, ut faciamus opera quae fecit, ut sequamur uestigia eius?

Bernardus Claraeuallensis, *Sermo in uigilia sanctorum Petri et Pauli*, 2-3 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.185-6, ll.18-20, 1-19).